



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

II. Vt ratae sint donationes episcoporum & clericorum, ecclesiae vel aliis
factae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

P R A E F A T I O.

CVM in nomine Domini in Lugdunensi vrbe ad syno-
dale Concilium venissemus , tam pro renouandis san-
ctorum patrum institutis , quæ præsentis temporis neces-
sario fecit opportunitas iterari , quam his quæ assurgentibus
vndecumque querelarum materiis , recentis defini-
tionis ordo poposcit institui , tractantes quid saluti po-
puli vtilius competeteret , vel quid ecclesiasticus ordo ob-
seruaret.

C A N O N E S.

I.

Primo in loco vnitatem sacerdotum , quam &
Dominus diligit , & scriptura commendat , & con-
cordia caritatis exposcit , conuenit ab omnibus cu-
stodiri ; ita vt in omni tractatu vel definitione ,
vno spiritu , vna sententia , sacerdotum constantia
perseueret. Et si quid inter fratres , id est coepisco-
pos nostros , contentionis ortum fuerit ; si de vna
prouincia sunt , metropolitani cum comprouin-
cialibus suis iudicio sint contenti. Si vero diuersæ
prouinciæ duo fuerint sacerdotes , inter quos ali-
qua disceptatio oriatur , conuenientibus in vnum
metropolitanis ipsorum , omnis eorum actio illo-
rum iudicio terminetur : ita vt si vnum ex episcopis
ab alio episcopo , aut a quacumque persona inique
fuerit aggrauatus , communi fratrum studio cum
Dei solatio defensetur. Quod si quis se ab hac con-
ditione quacumque calliditate subtraxerit , tribus
mensibüs se a caritate fratrum nouerit esse seque-
stratum.

VI

II.

Secundo loco , quia multæ tergiuersationes in-

Concil. Tom. 12.

E e e

fidelium ecclesiam quærunt collatis priuare dona-
riis , id conuenit inuiolabiliter obseruari , vt testa-
menta , quæ episcopi , presbyteri , seu inferioris or-
dinis clerici , vel donationes , aut quæcumque in-
strumenta propria voluntate confecerint , quibus
aliquid ecclesiæ , aut quibuscumque conferre vi-
deantur , omni stabilitate subsistant . Id specialiter
statuentes , vt etiamsi quorumcumque religiosorum
voluntas , aut necessitate , aut simplicitate , ali-
quid a legum sæcularium ordine visa fuerit discre-
pare , voluntas tamen defunctorum debeat incon-
cussa manere , & in omnibus Deo propitio custo-
diri . De quibus rebus si quis animæ suæ contem-
ptor aliquid alienare præsumperit , vsque ad emen-
dationis suæ , vel restitutionis rei ablatæ tempus , a
consortio ecclesiastico , vel omnium Christianorum
conuiuio habeatur alienus .

III.

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem
animæ suæ ita conati sunt , aut conantur assurgere ,
vt animas longa temporis quiete sine vlla status sui
competitione viuentes , nunc improba proditio-
ne atque traditione , aut captiuauerint , aut capti-
uare conentur , si iuxta præceptum domini regis
emendare distulerint , quoisque hos quos abdu-
xerunt , in loco in quo longum tempus quiete vi-
xerint , restaurare debeat , ecclesiæ communione
priuentur .

IV.

Illud etiam quod sancti patres salubriter ordi-
narunt , placuit iterari , vt si quicumque episcopus

xi. qu. 3. Si
quis a pro-
prio.